



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Stephani Balvzii Miscellaneorum Liber ... Hoc est,
Collectio Veterum monumentorum, quæ hactenus
latuerant in varijs codicibus ac bibliothecis**

Baluze, Etienne

Parisiis, 1678

Frederici II. Imperatoris & Regis Siciliae epistolæ novem ad diversos.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14688

FREDERICI II. IMPERATORIS
ET REGIS SICILIÆ
EPISTOLÆ NOVEM
AD DIVERSOS.

I. Ad Hugolinum Episcopum Ostiensem.

Ann. 1221.
Raynald. ad
an. 1221. §. 3.

FREDERICVS Dei gratia Romanorum Imperator semper augustus & Rex Siciliæ carissimo in Christo patri & amico suo Hugolino eadem gratia Ostiensi Episcopo apostolicæ sedis Legato salutem & sinceræ dilectionis affectum. Iocundæ famæ felicitas & felicitis rumoris jocunditas, quæ dilecto fidei nostro Reginensi Episcopo referente nostris auribus sonuerunt, immensæ prosperitatis gaudio fecerunt nos secundum utrumque hominem in Domino prosperari. Retulit namque nobis venerabilem patrem nostrum Honorium summum Pontificem vos promotioni negotij crucis immo totius populi Christiani consulto consilio deputasse, vobis per Lombardiam & Tusciam concessio plenæ legationis officio, propter hoc, sicut speramus, feliciter promovendum. Gaudeat igitur Romana Ecclesia, quia negotium multis initiatum laboribus optatum finem indubitanter assumet. Gaudemus & nos, quia vir fama integer, religione perspicuus, vita purus, facundia eloquentissimus, & claris virtutum & scientiæ titulis circumspectus, ad animandum eos in quos exprobrantium nomen Christi opprobria ceciderunt tam utiliter quàm efficaciter destinatur, ut secularibus desiderijs abnegatis, vexil-

lum salutaris crucis assumant, ipsum toto mentis desiderio requirentes. Gaudere debet & totus populus Christianus, quia terra quam Christus nostra salus proprio sanguine dedicavit, à longo tempore horrendis Agarenorum spurcitijs, non sua potentia, sed nostris peccatis exigentibus, conculcata, ipsis ab hereditate Domini brachio virtutis divinæ rejectis, ad verum & ineffabilem Christi cultum per vestrum ministerium reduceretur. Et quidem licet ea simus devotione subjecti sanctæ Romanæ Ecclesiæ matri nostræ ut credamus quemlibet missum de latere summi Pontificis patris nostri facere dignum fructum, tamen sicut stellæ in firmamento à se invicem differentius lumen habent, & alia magis, alia minus lucet, sic salva reverentia aliorum firmam spem gerimus & indubitata dante Domino fiduciam obtinemus quòd præ cunctis qui huic essent ministerio deputati, vestrum verbum igne caritatis accensum gratum fructum afferet nomini sancto Dei & toti populo Christi caractere insignito. Nam ex retroactis infallibilem de futuris elicimus conjecturam. Ut igitur efficacius & expeditius possitis hoc tam pium & salubre negotium promovere, vobis imperialis celsitudinis auctoritate plenam concedimus potestatem ut omnes illos qui per terram vestræ legationis sunt suppositi nostro banno, dum tamen plenè super hoc vestris curaverint obedire mandatis, in favorem prædicti negotij, quod magis humeris nostræ majestatis incumbit, & ardentius quàm aliquid aliud cupimus promovere, ab ipso banno, cum expedire videritis, absolvere valeatis. Quicquid enim super hoc duxeritis faciendum, firmitatem volumus inviolabilem obtinere. Nos enim, qui à matre nostra Romana Ecclesia culmina in hoc seculo summæ felicitatis accepimus, quicquid sua in hoc negotio &

alijs fuerit deliberatione statutum, intemerata volumus stabilitate vigere. Datum Salerni iv. Idus Februarij, Indictione nona.

II. Edictum de terra Comitissæ Mathildis.

Ann. 1221.
Raynald, ad
ann. 1221,
§. 29.

FREDERICVS Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus & Rex Siciliae. Per praesens scriptum notum facimus universis tam praesentibus quam futuris quod cum ad resignationem comitatus, terrae, & poderis quondam Comitissæ Mathildis faciendam sanctæ Romanæ Ecclesiæ venerabili matri nostræ, ad quam pertinet pleno jure, serenitas nostra contra quoslibet detentores speciale mandatum dederit ac etiam generale tam per litteras quam per dilectum fidelem Conradum venerabilem Merensem & Spirensis Episcopum Cancellarium nostrum sub pœna mille marcharum argenti, & dictus Cancellarius castrum Gonzag. cum pertinentijs suis, quod est de comitatu Comitissæ prædictæ, invenerit occupatum à filijs Comitum Alberti de Casalod. & Nerisij, quibus sub pœna prædicta injunxerit resignandum, & eidem super hoc parere contempserint ad non modicam injuriam regiae majestatis, propter quod sine alia citatione in metum aliorum, præter pœnam prædictam, animadvertendum erat in eos, tamen ut excellentia nostra potius ad veniam quam ad vindictam prior videretur, laboravimus per ipsorum amicos & consanguineos, cum citati non comparuerint coram nobis, ut sine metu pœnæ nobis resignarent castrum ipsum, & mandatum nostrum contempserint in hac parte, de consilio venerabilium Principum nostrorum Patriarchæ Aquilegensis, Episcoporum Tridentini, Brissinensis, Vicentini, Paduani, Feltrensis, Mantuani, Cremonensis, Bergamensis, Laudensis,

Laudensis, Parmensis, Astensis, & Taurinensis, taliter contra eos duximus procedendum, confirmantes primò quod factum est contra eos de banno & pœna injuncta per Cancellarium memoratum, & ex nunc personas ipsorum ponimus sub perpetuo banno imperij, & etiam bona eorum jubemus, ubicunque fuerint, confiscari sine aliqua spe remissionis seu revocationis, si usque ad diem dominicum proximè venturum dictum castrum cum omnibus pertinentijs detentis ab eis non resignaverint in manus Alatrini & Raynaldi Capellanorum Domini Papæ vel eorum alterius, vel in nostras, sanctæ Romanæ Ecclesiæ resignandum. Quod si non fecerint, quicumque de bonis ipsorum detinent, vel ex tunc occupaverint, siue quocunque alio modo acquisierint, liberè possideant & auctoritate nostra detineant. Et super hoc præcipimus Cremonensibus, Parmensibus, Reginensibus, Mutinensibus, Bononiensibus, & generaliter omnibus alijs fidelibus nostris ut memoratis nobilibus & alijs adiutoribus, fautoribus, & detentoribus memorati castri faciant vivam guerram, firmiter inhibentes Mantuanis, Veronensibus, Ferrariensibus, Brissiensibus, & omnibus alijs fidelibus nostris sub obtentu fidelitatis & gratiæ nostræ, communitati cuilibet prædictarum sub pœna mille marcharum, Marchionibus, Comitibus, Baronibus sub pœna ducentarum marcharum, Militibus centum, & alijs inferioribus quinquaginta, quòd eis nullum præstent auxilium, consilium, adiutorium, vel favorem, & tam de castro prædicto quàm de alijs castris, scilicet Pegugnag. Bonden. & Bonden. necnon de toto ipso comitatu, podere, ac terris Comitissæ prædictæ dictos Capellanos nomine Romanæ Ecclesiæ investivimus & eos constituimus possessores, & mandavimus de castris prædictis per venerabilem

Episcopum Taurinensem vicarium nostrum in corporalem possessionem induci, precipientes tam Militibus & habitatoribus castrorum ipsorum quam omnibus alijs vassallis de ipso comitatu seu terris & poderis Comitissæ præfatæ, quos omnes ad præsens absolvimus ab omni juramento quo nobis tenentur ratione terrarum ipsarum, quod dictis nuntijs Domini Papæ, vel alteri eorum, seu cuilibet alij ab Ecclesia Romana misso, abjuratis alijs juramentis contrarijs istis, præstent fidelitatis nomine Romanæ Ecclesiæ juramentum. Quod si non fecerint, sciant se ex nunc omnibus bonis comitatus, poderis, sive terrarum ab eisdem possessis hac nostra sententia in perpetuum fore privatos, & Milites & habitatores ipsius castri Gonzagæ delinquentes ponimus in perpetuo banno nostro. Præterea injungimus firmiter & mandamus Potestatibus, Consulibus, seu Rectoribus civitatum, sub pœna mille marcharum, ut omnes possessiones comitatus prædicti detentas ab ipsis sub pœna prædicta mille marcharum sine difficultate ac mora restituant, & absolvant omnes homines de comitatu & terris prædictis ab omni juramento, districtu & obligationibus quibus ratione alicujus jurisdictionis, quam hætenus exercuerunt in eos, tenentur eisdem, & removeant Consules, Rectores, Bajulos, & si quos officiales posuerunt in eis, & extrahant quoscunque posuerunt in banno de terris ipsis sub obtentu fidelitatis & gratiæ nostræ; ipsis nihilominus injungentes ut dictis Capellanis, vel eorum alteri, seu cuilibet alij ad hoc à sancta Romana Ecclesia destinato, ad retinendam possessionem terrarum quas habent, & recuperandam quam non habent, præstent auxilium, consilium & favorem. Verùm quia ipsi filij dictorum Comitum nostram contempserunt sententiam & mandatum, prædi-

etiam castrum infra terminum sibi datum nequaquam ut superius legitur resignantes, nostram promulgatam sententiam contra ipsos & omnes alios detentores comitatus prædicti, poteris, seu etiam terratum in nostra publica curia publicari fecimus, & ut firma semper & inconvulsa permaneat, majestatis nostræ sigillo jussimus communi. Principes autem imperij & Prælati & nobiles Italiae quibus præsentibus hæc omnia acta sunt, sunt hi. Patriarcha Aquilegensis, Conradus Metensis & Spirensis Episcopus imperialis aulae Cancellarius & totius Italiae Legatus, Episcopus Pitavicus, Syfredus Augustensis Episcopus, Albertus Tridentinus Episcopus, Bertoldus Brissinensis Episcopus, Abbas Augensis, Lodovicus Dux Bavariae & Comes Palatinus Rheni, Anselmus Mariscalcus imperij, & Guarnerius de Bollandia Senescalcus, Episcopus Taurinensis & Italiae Vicarius, F. Papiensis Episcopus, O. Laudensis Episcopus, M. Mutinensis Episcopus, Henticus Bononiensis Episcopus, Azo Marchio Estensis, Matthæus de Corrigia Potestas Papiensis, Niger Marianus Potestas Parmensis, Birrita Potestas Reginensis, Ægidius Potestas Mutinensis, Tifus de Campo sancti Petri, & alij plures. Datum in castris apud sanctum Leonem VIII. Kalend. Octubr. & publicatum apud spm Lambert pridie Kalend. mensis ejusdem anno Domini millesimo cc. xx. Indictione VIII.

III. Adversus rebelles Italiae, & de conventu indicto apud Veronam. Scripta a Petro de Vineis.

IN VITI loquimur, sed tacere non possumus. An. 1222. & lam enim securis ad radicem arboris posita, & gladius ferè usque ad animam transiens, labia dis-

soluerunt. Iusque datum sceleri scribimus, & populum contumacem dexteram in viscera propria convertisse dolemus. Iuri praefertur injuria, & voluntas justitiae dominatur, dum quidam Italiae populi sceptrum contemnere conantur imperij, ac etiam propriae commoditatis immemores, libertatis cujusdam vagae luxuriam quieti pacis ipsorum & aequitati justitiae praetulerunt. Nec tamen a nobis rebellionem hujusmodi sumpsisse nunc primum exordium aestimetis; sed avitas prosequimur & paternas injurias, & productam jam ad alias regiones libertatis invidiosae propaginem nitimur supplantare. Sed nec ista dissimulasse nos haecenus aut coniventibus oculis pertransisse credatis. Quamprimum in nobis pubescentibus annis, ac mentis & corporis coalescente virtute, ad Romani culmen imperij, praeter spem hominum, nutu solummodo providentiae divinae conscendimus, ac regnum Siciliae, praecleara nostrae maternae successione hereditas, ad jura nostra pervenit, aciem mentis nostrae direximus ad praedicta; ac deinde ad consummationem propositi nostri, miserabili casu de amissione Damiatiae tunc temporis materiam ministrante, cum . . . Papa curiam solenniter apud . . . duximus indicendam, ubi simul condiximus interesse. Quo proposito & volubilitate consilij motu continuo rerum praesentium immutato, nos a tanto bono recedere non volentes, ac ducentes nobiscum militum comitivam, prout imperialis excellentiae decus & tantum negotium condecebat &c. *Reliqua desunt.*

* Veronam.
Vide Raynald ad an.
1222. S. 2.

IV. Ad Ottonem Ducem Bavariae.

Anno 1243.

FELICES processus nostros, incidentia prosperorum successuum quibus Dominus exercituum provexit & provehit statum nostrum, tanto propen-

fius ad notitiam[†] regiae serenitatis conferendo refe-
rimus quanto eorum insinuatione gaudetis, confor-
tes & participes voti nostri. Primò quidem latere
vos nolumus quòd tam nos adjunctiva guerra Li-
guriùm mouerit ad desolationem & dispendia Ro-
manorum. Sanè populus hic duræ cervicis, & ab
experto jam faustu nostri sceleris odiosus, ad nos
& imperium nostrum, cui totum jus suum transtu-
lit ab antiquo, reverentiam gerens, quosdam vi-
cinos suos fideles nostros, campestri expeditione
præsumpra, frequenti obsidione aggredi & de-
populari non timuit, graviores ijs excessus exagge-
rans, dum violentas manus irreverenter extendunt
ad præcellentes personas, venerabiles Ecclesiæ Car-
dinales, dilectos amicos nostros; quorum aliquos
in odium nostrum duro carcere, nonnullos etiam
in diversis afflictionibus & penurijs coartarunt, inten-
dentes ecclesiasticam libertatem penitus inculcare,
cui velut Advocati & defensores Ecclesiæ potenter
adesse nos modis omnibus competeat. Cùmque
forent irrevocabiles ab excessu, ut nec ad satisfa-
ctionem meditentur induci, saniori resumpta pro-
missione consilij, quin potiùs ad depopulationem fi-
delium continuata vicissitudine temporum insavi-
orent, ne usu reprobo cogitantes quòd nullus posset
eos eruere de manibus prosequentium, nos justis mo-
tibus incitati, justè converti contra eos potentia
nostræ manum, præfigentes anno præterito in eo-
rum territorio castra nostra, si damna forsan illata
& recens vexatio indomito populo intellectum af-
ferrent, cum pulvere labentium turrium segetes quo-
que ac prædia ferro flammaque vastata, quorum
fumus tenerima bellica prænuntijs eos poterit edo-
cere, & præ foribus urbis aspicerent & victrices im-
perij aquilas suæ præsumptionis ultrices eorum vin-
culis insistentes à longè formidaret, coram quibus

* narem Ly-
bicus Hanni-
bal.

Vide Odor.
Raynald. ad
ann. 1243.
§. 3. & seq.

illa dudum magni nominis Roma & ingentis linguae
populus & potius latere condixerat quam videri.
Denuo in praesenti ad verba ipsorum insanuerat vi-
ros eorum per vaniloquia jactantes quod noster
ad eos tam vicinus non tentaretur accessus, arma
paravimus, nostram & quorundam fidelium pro-
vinciarum nostrarum potentiam convocantes, cum
quibus contra jactantia eorum viciniora praedia ur-
bis adivimus; ut ubi castris nostris admotis prae-
lecta militia & infinita copia peditum armatorum,
cui * patrem libitus Anibaldi vix legitur habuisse,
quam plures dies publicis eorum depopulationibus
noster instabat victoriosus exercitus, per quem de-
foris gladio & intus pavore nimio premebantur;
nec abinde recedere credebamus nisi Roma per-
cades & damna publicae humiliata foret & penitus
consternata. Demum praevenerunt nos venerabiles
Cardinales Anagninae commorantes per solemnes
nuntios ad nostrum exercitum destinatos, videli-
cet venerabiles Rothomagensis & Messanensis
Archiepiscopos & . . . & . . . Episcopos, pro parte
totius universalis Ecclesiae ac ipsorum attentius
supplicantes quatenus fratres eorum, qui erant Ro-
mae, praesente Praetoribus Romanis exercitum aggre-
di formidabant, & cum eis ad provisionem Ecclesiae,
de qua apud eos ferventer instabat voluntas, apud
Anagninam convenire, castra nostra de . . . dignarentur
praesidijs remove, ne propter nos provisionem
ecclesiasticam impediri contingeret vel differri, data
nobis insuper de creatione summi Pontificis indu-
bitata fiducia procedendi. Nos igitur summo zelo
clementer inducti quod apostolicae sedis per sum-
mam unitatem & concordiam debeat provideri,
primo magistrum Ottonem sancti Nicolai in car-
cere Tulliano Diaconum Cardinalem, ac demum
Penestrinum Episcopum, de cujus deliberatione vix

à voluntate nostra propria obtinere conscientia
 confidat præter spem & creditum, ut miraculosius
 accideret; insperatum ad fratres prædictos peten-
 tes cum instantia remisimus de nostra custodia libe-
 ratos; ac subsequenter Prælatos ceteros, Abbates,
 & Clericos transalpinos, cum eorum familijs, pro
 quibus omnibus preces recolimus recepisse, ob ho-
 norem vestrum liberos abire permisimus; licet re-
 motio castrorum nostrorum nobis & nostris fide-
 libus molestius offerretur, salutis apostolicæ provi-
 sionis commoda cogitantes, omni utilitate publica
 & speciali postposita; prorsus à finibus Romanis
 abcessimus, necessarijs contra Romanos in terris
 nostrorum fidelium præsidijs ordinandis ad resisten-
 dum Romanis, si procedere attentarent. Speramus
 autem, juxta præstitam nobis fidem & provisionem
 infallibilem atque firmam quòd Ecclesiæ Dei con-
 corditer providebunt ad publica diffidia removen-
 da. Ceterum ad tractandum & ordinandum con-
 summationem matrimonialis fœderis inter Conra-
 dum de . . in Romanorum Regem electum & regi-
 ni Hierosolymitani heredem & dilectam filiam no-
 stram Isabellam sororem vestram venerabilem Clu-
 niacensem Abbatem & magistrum Gualterum de
 Oera Notarium & fidelem nostrum excellentiæ no-
 stræ Legatos & nuncios speciales duximus ad ve-
 stram præsentiam destinandos.

V. Ad universos regni fideles.

IMPERATOR universis regni fidelibus. Ex- Anno 1243.
 celsus super omnes gentes Dominus orbis ace-
 phali calamitati compatiens emisit de altitudine
 montium manum suam, ut tabernacula seniorum
 alienigenis jam inhabitata colonis & sanctuaria Ie-
 su Christi minùs dignis polluta ministris purgaret

à vitio, expiaret à scelere, & universalis orbitatis
 umbraculum, superstitionis rejecta caligine, illu-
 minaret speculo claritatis. Nullum enim, ut credi-
 mus, præsentis later latebras mundi latus, nullius
 aures surdæ prætereunt quantæ tribulationis modus
 in orbe resultaverit & in urbe, quantæque seditio-
 nis involucrum antiquus attulerit persequuntor, qui,
 si veritas sub nube non lateat, tantum in dominica
 vinea virus evomuit quod nisi filius Dei vivi, qui
 ad redemptionem humani generis, quod de limo
 terræ transumperat, subire martyrium non expa-
 vit, suæ clementiæ dexteram non movisset, in pis-
 catoris naufragante navicula periisset populus Chri-
 stianus, dum Petrus in altis habitans non respicie-
 bat in petram, nec ejus successio transferebatur in
 posteros; & sic cupiditatis insurgente vindicta,
 plorabat Ecclesia viduitatis instantiam, dolebat
 populus contumelias generales, nec in ministrorum
 ore frequens proderat alleluja. Nam præter op-
 pressionem innumeras & oppressorum incursum, qui-
 bus desolatæ matris latera lacerantur, sic ad pro-
 ximos ictus præteritos fidelium retorquetur aspe-
 ctus quod consolationis remedium mundus nequa-
 quam assumere poterat, dum mater Ecclesia, quam
 Christus in petra fundavit, debebat erigi, tum op-
 pressi contingebat, dum debebat alicujus suffragij
 vigore refulgere, tunc in majori conflictu, tam
 grandem, tam utilem virum perdidit & rectorem.
 Ex suis etenim gestis colligitur, & ex operum fru-
 ctibus indubitanter innuitur quoniam pastor utilis,
 quoniam rector idoneus fuerit recolendæ memoriæ
 Gregorius Papa nonus, qui gregem sibi creditum
 ab iniquorum incursum pro posse servans illæsum,
 pro suis ovibus animam suam ponere non expavit,
 donec ipsam in Abrahamæ gremio resignavit & spiri-
 tum reddidit Deo nostro, quem multis afflictio-

nūm generibus in his conflictibus laceffivit. Cujus
præsidio privata mater Ecclesia, ne veneno poffet
veteris serpentis involui, ubi nulla profuiffet tunc
temporis tyriaca, supplicavit ad Dominum ut tan-
tæ defolationi compatiens, ejus miferijs mifericor-
diter condoleret. Ad cujus clamores affiduos manus
omnipotentis excitata, de fervore folito faciendo
virtutem, de congruo fponfo providit Ecclefiæ,
mittens de cæleſti canaculo Cæleſtinum: in cujus
ſubſtitutione Pontificis ſatis utiliter proviſum fuiſ-
ſet Eccleſiæ, niſi mortis imperium, quo Reges pri-
vantur regimine & Principes principatum amittunt,
ſuæ novitatis primordia de medio ſuſtuliffet: quem
ſic raptum ſubitò, ſic repentè ſubtractum, ſeden-
tis ſuper flumina Babylonis matris viduatæ com-
paſſio tanto lacrymabiliùs deploravit quanto re-
centis doloris, ſuſcitato præterito, reliquiæ re-
manferant deplorandæ. Nondum etenim prioris
vulneris cicatricis ſigna tranſierant, nondum pri-
mævi doloris fumus in altum aſcenderat, & ſic ama-
ritudini conjuncta calamitas fluctibus addidit tem-
peſtatem. O quàm mirabilem fallendi modum!
Fallacia ſiquidem mortalis includit, quæ discreta
prorsùs à tredecim concepta peremptorijs, excep-
tiones dilatorias non admittit, ex neceſſarijs ſemper
terminis ſyllogizans. Numquid enim unum ſibi ſu-
ſtuliffet ſuffecerat, ubi ſucceſſore ſecundo deſola-
tæ matris gremium continuatis lacrymis viduavit,
ut ad minus quod in uno ploraverat, in alio ſola-
retur, quæ dolorem cum gaudio temperans, ter-
minavit gaudium in dolore, & ſic ejus evangelio
lugubri totum prædicato per orbem, cùm nulla
ſpes remedij ſuperſeſſet Eccleſiæ, cujus tribulatio-
num publica notio ſe per univerſos orbis angulos
publicarat, piæ matris affectus, quam ſqualor vi-
duitatis & defolationis affecerat, ad Dominum,

dum tribularetur, coadunatis vocibus filiorum, qui hujus doloris pungebantur aculeis, exclamavit; & ne pericula circumstantis angustiae, quae periclitari temporis necessitas exigebat, in altum forte succrescerent, voce clamantis caelum tertium penetrante, & à vultu Dei prodeunte iudicio, petentis petitio se sentijt exauditam, quod mater opraverat, voto desiderantis advenit, & aspergens aquas in itineribus suis, vocem abyssus protulit ab altitudine phantasiae. Ac licet hoc fama paranympa processuum expectantium auribus ex affectus anxietate praedixerit, ut ramen in certius laudis canticum prorumpatur, quod cum *Gloria in excelsis Deo* referimus, creatum desuper in Ecclesia Romana Pontificem praesens epistola laetabunda describit. Quod tanto solemnius movere debet corda fidelium quanto consultius orbis angustijs, quae jam hostis antiqui nequitia varia tentatione seduxerat, cuius est à summo caelo egressio, suae gratiae infusione providit. Canite igitur tuba & cythara, canite Deo nostro, qui suum prosequendo negotium, Papam concessit populo, patrem filijs, virum viduae, pastorem ovibus, & in altis habitans respexit humilia, largitus mundo perituro rectorem.

Vide Odor.
Raynald. ad
ann. 1243.
§. 10.

VI. Ad universos papali vocatione vocatos.

Ann. 1245.

VNIVERSIS papali vocatione vocatis. Scribens in ambiguo mandato mandatis sic habere providentiae spiritum & intelligentiae complementum quod per improvidentiae lubricum inter praeparatos laqueos non labantur & in plicas inexplicabiles non plicentur. Ad cognoscendum itaque quid in vocatione vocatis expediat fieri, consideranda sunt omnia per quae via tutior posset eligi, & habendum super hoc à vobis Concilium tam pruden-

ter quàm utiliter terminari. Nam priùs, ut arbitror, debet attendi forma rescripti, videri motus scribentis, considerari causa mandati, pensari, si posset, intentio mandatoris, debita executioni mandari, & tam eminentium quàm latentium periculorum inevitabilis multitudo provida circumspectione vitari. Quæ qui plenè cognosceret, de facili scire posset quid in hoc vocatis ambiguo facere expediret. Vt autem de gravioribus discussio prima fiat, primò periculorum concurrentium universitas in statera prudentis examinis singulariter appendatur. Sunt enim tot & tanta pericula in terra, in aère, & in mari quòd humana prudentia non poterunt evitari, quæ si quis inopinato casu forsan evaserit, urbis tamen & urbana pericula non evadet. Sed quia per terram patet potius violentia moriendi quàm possibilitas transeundi, de terræ periculis prætermisso, plurium aliorum concurrentium aliunde sævitiam primitus attendatis quàm vos eis improvidè ingeratis: quia tutius est ante discrimina resilire quàm se discriminibus inexplicabiliter implicare, cautiùsque videtur morborum principia prudenti remedio prævenire quàm post invalescentiam ægritudinum infructuoso medicamine medicare. Sunt autem hæc in mari pericula, panis indigestibilis & bis coctus, vinum continua maris turbatione turbatum, aqua sui corruptione vermium generatione fœcunda, infectione sua totum inficiens cui miscetur, quæ nisi clausis oculis & dentibus tamen cum abominatione pessima potest bibi. Est enim in mari ventorum rabies inevitabilis & improvisa; qua dum Romam applicare crederis, repentè vas in barbaras vos proiciet nationes; ubi erit linguæ vestræ ignorantia, legis perversitas, amissio libertatis, & captivitatis perpetuæ desolamen. Insurgit insuper in momento quædam in mari

ſævitia tempeſtatis, quæ ſubitò montes fluctuoſos
 & fluctus parturit, montuoſos, quorum concuſſio-
 ne quandoque navis in cælum impulſa creditur reſ-
 cendere, & verſa vice velociter videtur deſcendere
 in profundum. Eſt etiam in mari periculum, ruina
 navis incauta, vel ex concuſſione fluctuum ejus
 confractio, vel ſubmerſio in profundum, & ex ejus
 confractione vel ſubmerſione impoſſibilitas le-
 vendi. Accidit quoque plerunquæ quòd inextenſa
 carbala turbinis imperus ſic irrumpit quòd ſtatim
 ut eam rumpit, deſtruit remigem, frangit malum,
 ſicque navis deſtituta debitis munimentis, tempe-
 ſtatibus & ventis expoſita fluctuat in fluctibus peri-
 tura. Sunt præter hæc in mari pericula piratarum:
 qui ſi vobis occurrent, in vos taliter irruent quòd,
 præter alia flagitia inferenda, perſonas cum rebus
 capient vel ſubmergent. Cùmque navigatur in por-
 tu, frequenter evenit quòd ex concuſſione navis in
 terram vel petram in portu pereunt navigantes, vel
 ſubita ventorum impulſio veniens ex adverſo ſic eos
 à portu repellat quòd conſumptis cibarijs eos in ma-
 ri latitudine periculorum ſævitiam, quam jam eva-
 ſiſſe credebant, imperit & impellit; ubi, niſi peri-
 culis pereant, ſaltem fame & ſiti peribunt. Præter
 hæc, quædam etiam inevitabilis periculorum abo-
 minatio, quam tolerare vel evadere nullus poteſt:
 quia cùm repentinas mutationes natura non ſalti-
 neat, propter mutationem aëris & aborui & mo-
 tum violentum ac continua continuè ſtomachus vi-
 provocatur ad vomitum; quod cum abominatione
 recipit, evomit cum dolore; fitque frequenter, ubi
 ſecundùm diverſas naturas diverſimodè ex diverſis
 tanta ventris conſtipatio quòd ventris virtus natu-
 raliter expulſiva motum animi amittere cogitur na-
 turalem, quandoque tanta eſt diſſolutio quòd vix
 remanere videntur intrinſecus inteſtina. Cùmque

navis, licet parva, receptaculum sit multorum, fit ibi distinctio locorum secundum multitudinem contentorum; & pressura premente unus juxta alium morborum perversitate torquetur; motumque ventris tam violenter quam inevitabiliter expulsivum superius & inferius patientes infirmi quidam subtus, quidam supra, non in loco talibus deputato publice, inter omnem ventris putredinem cogantur amittere defectu virtutis propriae communem, sic quod juxta peregrinum nullus moritur peregrinus; & in mari proicitur semivivus, & abominabiles intolerabiles extraneus ab extraneo cogitur tolerare, quas nequaquam in terra de patre vel de filio sustineret. Et si potentes propter potentiam hujusmodi pressuras evaserint, firmiter tamen aërem corruptum ex mortuorum & infirmorum corruptionibus ascendente non poterunt evitare. Cumque sit ibi infirmorum mistio & sanorum, velut ignis ardentis inflammatio in domos continuas morborum contagiosa diversitas ab una in aliam transvelat & prorumpit, sicque de mille vix unus evaderet nisi mortuus vel infirmus. Quod si forte aliquis remanserit semivivus, in terra maris & morbi concepto contagio morietur. Vel si mortem evaderet, morbum interminabilem non evadet, ut perpetuo langore detentus non possit propitia vita frui, sed continua morte mori; multaque maris corruptio corruptis humoribus & aëris corruptione infectis spiritibus de mari redeunt sic corrupti quod sepulchri vel inferni faciem afferre videntur & possunt potius monstra quam homines judicari. Sed cum metalla quaelibet in mari naturali colore innatrabili destituta, maris violentia, colorem cogantur inducere peregrinum, quid mirum si quolibet memento mutabilis humana natura nequeat sustinere quae metallorum non potest insensibilitas

tolerare, facies de mari viventium forma propria destituta quod in mari formis proprijs destitutis formas velitis recipere sic deformes. Verum ne inevitabilis maris periculorum prolixitas sub brevi locutionis oraculo concludatur, in mari semper imminet omnis timor, nulla securitas, motus continuus, nulla requies, semper adversitas, nunquam prosperitas, nunquam bonum, sed generaliter omne malum. Sane cum sint maris pericula tot & tanta quod in mente hominis eorum non posset cadere multitudo, praetermisso de generali ad specialia discurrendo de singulis descendatur, primoque de primis & currentibus providus sit tractatus. Venit quidem a tyranno savissimo in terra potentissimo & in mari certae prohibitionis edictum ut si quis viam quam multis prohibuit incedere praesumat ingredi, persona vel rebus aliquatenus non confidat. Quis igitur ejus insidijs se exponet? Quis illius laqueis se involvet qui dominatur in terra, princeps in mari, & imperat in utroque, qui prodigius in poena, parcus in misericordia, furore repletus, pietate deficiens, verbo falsus, opere imperfectus, vitijs deditus, Domino indevotus, crudelitate secundus Herodes, impietatibus alter Nero, qui cum a mari usque ad mare praeter Ianuam possideat omnes portus, potens sit in navigio & in armis, de Pisis, Corneto, Neapoli, & Gaieta, ac alijs regionibus tantam ad insidiandum congregabit multitudinem galearum, cum tanta multitudine piratarum & abundantia armatorum, quod transire nequibitis quin in praeparatas insidias incidatis. Quod si per maris altitudinem aliquantulum insidiantium cursum vitetis, tandem tamen ad portum quem tenditis accedere vos oportet, in quo est ipsius potestas quae nullius reprimina reprimetur, & in ipso portu, cum veneritis, vos capiet vel submerget,

vel in terram ejus aura fortè contraria vos impellet; vel cum sit vir magnæ sagacitatis & versutiæ imminentis, paratos nautas forsitan jam corrumpit quod ventum contrarium præponentes ejus insidijs vos exponet, ut sic idem habeat quod intendit & vobis eveniat quod timeris. In quibus casibus forsitan esset festinata mortis supplicium minus grave quam in manus incidere tam crudeles; quia quomodo vobis parceret qui tenet & filium proprium carceris custodia mancipatum, ipsum dignaretur miserando miseria misereri? Qualiter circa vos pietate movebitur qui super captivum filium paternis compassionibus non movetur? Quod si forsitan super inopinato casu vel impossibili Romam veneritis, tot miranda pericula mirabiliter evadentes, Romæ securi qualiter eritis, cum pro diversis adversarijs omnibus civibus in diversa divisio sit ibi conflictus continuus inter cives & divisio inter fratres? Quod si securitas ita vobis patuerit, generalis tamen afflictio non latebit, quia cum æstivi caloris dominio vos servos oportet ibi esse; sicque ibi perseverans & intolerabilis caloris ebullitio, aquarum putrefactio, ciborum grossities, aër palpabilis, muscarum abundantia, copia scorpionum, gens immunda, gens abominabilis, gens pessima, gens furoris; sicque ibi civitas tota per circumferentiam cavernosa, cavernæ plenæ reptilibus venenosis, ex quibus fumus inficitur, & inficiens evaporat; & sic omnes ibi tunc morantes generaliter moriuntur quod de milibus decem vix evadere possunt. Sic ergo qui indignationem maris evaserit, vorax Roma venenosa voragine devorabit. Et qui illam evasisse crediderit, incidet in Charybdim. Verùm si miraculo vel fortuna tot pressuras evaserint, quis eis de securo reditu providebit? Quia cum hosti insidiant magnates urbis ad prælium voluntariè famu-

lentur, non est ingressus aliquis nisi velint; vel si ingressus fortè non poterunt impedire, saltem eisdem patefacient gressus sive motus vestros, ut statim cum ingressi mare fueritis, vos expectans manus suscipiat & torqueat inimici, vel saltem in prænominata pericula incidetis. Sicque maris gulitas insatiabilis in vos, quos vomit, tamquam canis ad vomitum revertetur, quia mare, tempestates, & venti pro vobis naturales potentias non amittent. Non estis dij vel sancti ut in potestate vestra suæ resideant tempestates. Porrò si vobis de ductu & reditu securitas promittatur, videte quæ de vita tuenda & morte cavenda cautio dari possit. Contra quem enim de morte post mortem, de mortis passionibus actionem habebitis, cum omnes morte quoad mortuos pereant actiones, pactiones tollantur, & promissiones quælibet viribus vacuentur, nec canonici juris beneficio, vel civilis aut appellationis vel provisionis alicujus remedio post mortem vita redeat jam amissa. Si verò Legati subtilitas ad arreptionem itineris diversis suasionibus vos inducat, cogitate quoniam cogitur non redire. Est enim sua mansio, & non vestra. Via sibi patet unica, vobis duplices imminet, scilicet pericula transitus & regressus. Insuper attendatis quòd mandator in mandato tam aspero circa vos motu rationabili moveatur, utrum mansuetudine repleatur, si caritatis adminiculo accendatur, qui cum insidias Principis non timeat adversantis, sed in tuto maneat & quieto, vos voragini tam communi periculorum exponere non formidat. Effet quidem tolerabilis sustinendum si vobiscum communicatis periculis in loco congruo convenirent. O si rationis judicio fungeretur, contentusque finibus æquitatis, motus providentiæ non exiret! Nunquam inter flores Ecclesiæ rosas electas exponeret tantis periculis perituras.

turas. Si verò pro generali Ecclesiæ statu, quæ ab appellantis hostis impulsibus contrahi conqueritur, vos vocavit, ex tali vocatione videtur quòd eam de casu velit in casum cadere graviozem. Quod si contingat, ut patet apertis indicijs tam excellentibus Ecclesiam viduari, quis Ecclesiæ aptior, quæ confusio gravior, quæ desolatio durior quàm sponsam inclitam summi Regis tam aspera incommoda sustinere? Quis enim tanti lapsus gravedinem reparabit? Quis tantæ desolationis remedia procurabit? Post hoc etiam attendatur forma rescripti, consideretur causa mandati, & notetur quid ex mandato hujusmodi possit sequi. Continet enim tenor prioris rescripti quòd grandes apostolicæ sedis eventus & causas vos ignorare non convenit, ut habeat spectatum in vestra visitatione solatium & gratum providi consilij fulcimentum, cum post receptionem talis rescripti crudelitas adversantis tyranni inde honesta haurit quòd vos de præparatis insidijs præmunivit. Sed rescripti conditor circumstantia periculorum flagitia, salva sanctitatis reverentia, non attendens, & in subversione vestra subversionem status generalis Ecclesiæ non advertens, obedientiæ virtute mandavit quòd cum tam sanctum ejus propositum, utilitatem respiciens singulorum, humanis non debeat versutijs retardari, Deum homini & meritum obedientiæ exclusis difficultatibus omnibus præponendo. Ut autem rescripti hujusmodi seriatim series differatur, quas habet apostolica sedes causas, quæ negotia nisi contra rebellem Principem, quæ majores vel minimi non ignorant. Quòd si causas vel quæstiones habeat sive negotia latentia vel obscura, numquid necessitatem subventionis prohibito vobis & consubditis vestris per Legatum imposuit? Nam per ipsum vel litteras revelare non potuit quod intendit, ut certi mandati forma cer-

tum consilium firmaretur, & vitando pericula notarentur. Qualiter insuper præsumetur sanctitatis vestræ propositum, qualiter credetur utilitatem respicere singulorum, quod in armario secretorum sic silentio tegitur quòd nec in aures publicas nec in consiliarias promulgatur? Si verò quàm vobis inconsultis contra crudelem Principem tempestatem incepit, consilio vestro diffinire disponit, num qui sine vobis ab initio vilipensis procedere incepit, processum suum sine vobis poterit terminare? Vel si consilio vestro finaliter uti velit, qui primordially non curavit, numquid tutius fuit consilium per litteras vel Legatum à vobis requirere quàm vocatis inter tanta pericula vos parare, ut conceptum ab ipso negotium generaliter Ecclesiam tangeret generale. Quare consilium vestrum ab initio non quæsit; quia cùm finis eventum juxta qualitatem principij fortiatur, fuisset consultius de principio consilium quærere quàm de fine. Verùm de causa mandati & mandatoris veritas satis potest ex forma rescripti elici vel præsumi. Cùm autem contra tyrannum potentissimum incipiendo quod per se incepit videat imperfectum, tendit ut gravetur rigor sententiæ contra ipsum vel depositionis sententia promulgetur, aliúsque pro suo libito præficiatur imperio, vobis, si deceat, juxta libitum suum præstantibus consilium & assensum, ut sitis organa sonantia juxta deductionem & libitum organistæ. Cùmque nec iste deici nec ille præfici rectè nec defendi possit sine gravibus oneribus expensarum, statuat & dissipet; ut quod communi consilio statueretur, expensis omnium defendat; ut sic, prout ejus rescriptum obscure continet, in vestra visitatione pro libito consilium expectatum habet in processu & speratum solatium in expensis. Satis enim videbitur contrarium rationi ut qui de processu principio consilia-

nij non fuistis, finis opera expecteris, sitque deceptio pro negotijs universalis Ecclesiæ. Et licet ab initio consilium ejus vel consensus contemnatur, tributaria statuetur, & perpetuæ servitutis patibulo suspendetur. Sed propositum intentionis propriæ tacuisse videtur; quoniam ad hoc vos præsentis judicat facilius quàm absentes, nisi prudenter caveritis ne sub involucro vos involvat. Cùmque virtus obedientiæ, qua vos vocat ad subeundum inevitabilia rerum, personarum, & Ecclesiæ pericula, vos non cogit, cùm ex causa necessaria non causetur, si vos in tantis specialitatis & generalitatis periculis non cogente necessitate repererit ita debiles, ita molles in obediendo per vos meritum demerebitur; homo Deo, non Deus homini, præponetur; vosque de cetero reputans arundinem flexibilem omni vento, perpetuis, ut incepit, libertatis fœdere violato, ligabit vinculis servitutis, sicque gradatim de gravi in gravius gravissimum vel gravissimè vel generalissimè comparatur. Vel si forsan in ijs vos fortes invenerit, plus in alijs offendere vos timebit: quia intellecta sententia veritatis, plus humiliatur, plus erigitur plus repugnans. Consideratis igitur universorum periculorum circumstantijs universis, quis erit adeo prodigus vitæ suæ, quis adeo contemptor negotij libertatis, quis adeo rerum negligens conservator, quis adeo penè vilipensor, quis adeo felicitatis continuæ non amator, quod felicitatis pro infelicio propriam, pro exilio res, pro defectu libertatem, & communem pro servitute propria & communi, & tandem vitam pro morte velit vel audeat infelicio commercio commutare. Timeo tamen ut quosdam vestrum ambitio ad majora, quosdam desiderabilis amicorum promotio, quosdam favor curiæ acquirendus, ex exauditionis favore in exauditionem clamantium oppressorum ad subiciendum vos & uni-

versalem Ecclesiam periculis importunitatibus vos impellant. Sic diversis cogitationibus agitati eritis, sicut qui non habent nec habituri sunt, semetiplos perdere non verentur. Ego tamen quantum sufficio pensans & ponderans universa in præmissis eligendis arbitror non parere potius quam perire, nisi causa manifesta & necessaria primitus exprimat, ex qua debeat obedientiæ vinculum inviolabile observari.

VII. Ad Cardinales Romanæ Ecclesiæ.

Anno 1245.

IL LAM pro firmo gerimus de vestra sinceritate fiduciam, illam in vobis & ceteris fratribus vestris esse constantiam opinamur, quod quantumcunque devotionis & reverentiæ vinculo Romano Pontifici sitis astricti, quantumcunque sui processus impetum contra nos habitum sub generalis Ecclesiæ nomine periculis vestris ascribat, causam propriam redigens ad communem, vos, velut orbis cardines & columnæ firmissimæ, nec ad circumventionem innocentie nostræ leviter positus induci, nec ad depressionem nostræ justitiæ leviter commoveri. Et quamquam ad evitanda desolationis dispendia, ut credimus, per scissuram, currentis temporis furori cesseritis, libenter tamen vos invenire velle remedia credimus per cautelam quibus orta per impetum valeant reparari discrimina & excitata mundi dissidia conquiescant. Verùm summa videtur circumspeditione cavendum, ut sine præjudicio vestræ discretionis immensæ loquamur, ne dum per liquoris infusionem extingui credatur incendium, accensus ignis ardentius furiat, forsitan oleum jaciatur in caminum. Illud etiam non minori diligentia cavendum credimus, ne materiæ minùs crudæ cauterium apponatur, & ex quo sequitur vulnus insanabile

potius quam vulneris medicina. Nuper enim audivimus, unde iustissima ratione movemur, quòd nobis excogitati consilij, qualitatis ejus & temporis prorsus ignari, per summum Pontificem adhuc publicum hostem imperij & nostrum capitalissimum inimicum pro pacis negotio, licet hoc vocationis emissæ forma non exprimat, Concilium convocatum, illo simpliciter adnotato, quòd pro magnis & arduis Ecclesiæ Romanæ negotijs & transmari- norum Prælatorum & cismarinorum Principum synodus evocetur. Verùm quæcunque sit causa vocationis hujusmodi litteris ad apostolicam famam tacita vel expressa, satis tamen suspicionis nostræ causam perlucidè & initia manifesta quòd pro nobis, non pro pace, sed contra nos, & discordia potius, tale Concilium evocatur, dum non à vobis saltem communis electæ personæ, sed ab inimico nostro & nonnulli nostri culminis inimici vocantur. Prius igitur pax inter nos tractari debuit & tractata firmari quàm à tam remotis partibus pacis suffragia quæ- rerentur. Nos enim de hoc inimicorum de parvo vel nullo qui se offerunt non timemus, si cum eo pacem habebimus quem patrem habere, si datum esset, deberemus in terris.

VIII. Ad fideles per Tusciam constitutos.

VNIVERSIS Vicarijs, Potestatibus, Re- Anno 1247.
ctoribus terrarum, & alijs curiæ imperialis officialibus imperij fidelibus per Tusciam constitu- tis præsentis literas inspecturis &c. Cùm ob accu- sationem coram nobis factam per B. & O. de.. & D. de.. pro eo quòd interfecerunt domnum Io- hannem Abbatem monasterij de.. eorum domi- num specialem & eidem B. plurima damna intule- rant, ipsius bona temerè devastando, præfatos O.

& D. legitimè citari fecimus ut coram nobis comparare deberent super dicta accusatione in iure in iudicio responsuri, quia ipsi venire vel sufficientem pro eis responsalem mittere cessaverunt, ideo ipsos & quemlibet eorum auctoritate imperiali qua fungimur exbannimus, eorum contumacia & inobedientia exigente, & pro parte imperialis curiæ bona eorum mandavimus annotari. Propter quod nolentes accusatos eosdem de tam nephando excessu remanere aliquatenus impunitos, ut pœnam pro qualitate delicti cognoscant, auctoritate imperiali prædicta vobis præcipiendo mandamus quatenus tam ad supplicationem B. accusatoris præfati quàm etiam ex officio nostro, pro eo quòd mandatis nostris non obtemperaverunt, memoratos O. & D. accusatos exbannitos à nobis personas capere & eos sub fideli custodia ad nostram præsentiam destinare curetis, malefactores eosdem in vestris terris vel in eorum districtibus manere vel esse nullatenus permissuri.

IX. Ad Comitem Casertanensem.

Ann. 1148.
Vide P. de
Vincis lib. 3.
epist. 61. 79.

Idem lib. 1.
epist. 16.

IMPERATOR Fredericus Comiti Casertanensi. Cùm, sicut firma nuper relatione comperimus, & te in parte non credimus ignorare, Ludovicus illustris Rex Francorum, dilectus animæ nostræ, ad partes ultramarinas, prout jamdudum stabili mente disposuit, transfretare magnificè sit paratus, quem per partes Italiæ transire velle constanter audivimus, vel ibidem, si casus inciderit, hyemare, nolentes ut insula ipsa, nostri pars utique præclara dominij, tempestate præsentium negotiorum & temporis imminente, rectoris seu præsidis præsentia careat, quæ personalis nostræ maiestatis essentiam repræsentans, & Regem ipsum

loco nostri quo decuerit honore recipiat, & provinciam ipsam in omni tranquillitate gubernet, quamquam regnum nostrum in proximo, civitatis Parmæ depressa protervia, vel ipsius urgentissimè depopulatione peracta, repetere personaliter disponamus, te ad partes illas tamquam præcipuum loco nostri vicarium ante faciem nostram salubri consideratione providimus præmittendum, devotioni tuæ mandantes quatenus in continenti receptis præsentibus ad comitivam tuam viris aliquibus fidelibus nostris de Terra Laboris & comitatus Molinibus vel quatuor deputatis, magnis & continuatis dietis ad partes ipsas, sicut unquam gratiam nostram diligis, celeriter studeas te transferre. Qualiter autem super receptione Regis ejusdem & negotijs nostris illarum partium gerere te velimus, per latores præsentium nuntios tuos fideles nostros, quibus super hoc plenissimè beneplacitum nostræ majestatis expressimus, & fidem plenariam adhibere volumus, sufficienter poteris informari.

Vide eundem
lib. 2. epist.
5.

*Henrici Regis, qui Frederici II. Imperatoris
& Isabellæ Anglicæ filius fuit, epistola ad
Henricum Regem Anglorum patrum suum.*

SI magnificentiæ vestræ frequenter huc usque non scripsimus, si nepotici sospitatis eventus ad notitiam vestram segnis officium calami non perduxit, si nostrorum gesta successuum stilus hæcenus dictatoris non digessit, causa fuit quòd nobis in annis teneris constitutis, nec renatis adhuc fonte baptismatis, quid & cui scriberet, nostra dudum infantia nec discernere poterat nec noscebat. Nunc autem honore tanti sacramenti solemniter decora-

An. 1247.

Vide P. de Veneis lib. 3. epist. 21.